



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 207. Oratores Neapolitani auditi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

in Laudem S. Josephi, & B. V. M. peti- Sæcul. XV.
A. C. 1416.
to themate ex illis Matthæi verbis cap.

I. *Jacob autem genuit Joseph Virum Ma-*
riæ, in eo differuit de immaculata Con-
ceptione Beatæ Virginis, & quamvis
hoc mysterium in Sacra Pagina disertis
verbis non esse stabilitum, imo nequidem
per claras consecutiones inde deduci pos-
se affirmaret, hanc tamen quæstionem,
an esset de fide, nec ne, a Synodo de-
finiendam asserebat. Eidem Concilio
proponerat, diem festum esse instituen-
dum in honorem immaculatæ Conce-
ptionis S. Joseph, licet aliunde festorum
frequentiæ tantopere adversari videretur,
ut etiam plures ejusmodi festivitates ab-
rogandas censeret. Gersonium autem
erga sanctum Josephum magna devotio-
ne exarsisse constat. Extant binæ illius
epistolæ de celebratione festi hujus Sancti.

§. CCVII.

Oratores Neapolitani auditi.

Die decima sexta currentis mensis Orato- Vander
Hardt to. 4.
p. 862.
res Jacobi Neapolitani Regis, & Joan-
næ II. ejus conjugis audiebantur. Ho-
rum jussu Synodo accedentes declara-
bant, eorum Reges deseruisse, atque
etiamnum deserere Benedicti obedien-
tiam, Negabant, illos unquam cum eo
clandestina fovisse consilia de occupanda

Q 2

Ro-

Sæcul. XV. Romana urbe, prout tamen infimulabantur. **A.C. 1416.** Postmodum quidam Imperatoris Advocatus contra Regis Hungariæ, Croatiae, & Dalmatiæ titulum, quem sibi Rex atque Neapolis Regina arrogaverant, intercedebat. Pari modo Cardinalis S. Marci exceperat contra titulum Regis Siciliae & Hierosolymæ, quem iidem quoque assumpserant. Quibus tamen Neapolitani Legati Responsis suis plene satisfecerunt; quo factum, ut Synodus illud innovaret Decretum, vi cuius jam antea sancitum, ne gradus, tituli, vel sedes, quas quisque in Congregationibus vel Sessionibus teneret, in ullius præjudicium cederent.

§. CCVIII.

Epistolæ Regis Poloniæ, & Magistri Ordinis Teutonici ad Synodum.

*Vander
Hardt to. 4.
p. 861.*

Præterea tres epistolæ ad Synodum delatæ prælegebantur, quarum una a Ladislao Poloniæ Rege, & Witholdo Duce, altera a Michaele Cochmeistero supremo Teutonici Ordinis Magistro, tertia demum ab Universitate Cracoviensi scripta erat. Ladislaus commendat studium, quod Synodus in extirpanda Hæresi nec non in Ecclesia denuo sub uno Capite unienda luculenter comprobasset, testaturque, se hucusque inducias Polonos